



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis
Romanorum Pontificum**

Liutprandus <Cremonensis>

Moguntiae, 1602

C. Paschalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

ros 24. diaconos 6. Qui defunctus est Kalendis Ianuarii. Hic Episcopis Hispaniarum Epistolam destinavit, in qua multis rationibus, multisq; multorum auctoritatibus, Christum verum, & nō putativum, proprium, & non adoptivū patris filiū esse comprobavit.

XCVIII.

A. DCCXCV.

LEO III.

LEO, natione Romanus, ex patre Azuppio, sedit annos 20. menses 5. dies 16. Hic in natali S. Stephani protomartyris electus est, & insequenti die ordinatus est. Hic cum ex more paratus in Letania, quæ maior dicitur, incederet, ab iniquis Romanorum captus, oculis est priuatus, & lingua truncatus, in arctaq; custodia reclusus. Sed Deo cooperante, & B. Petro suffragante, & visum recepit, & lingua ei ad loquendū restituta est, & ex ipsa custodia liberatus Dei auxilio ad KAROLVM Regem, & Romanorum patritium profectus est: à quo & deuotissimè susceptus est. Quod nefandissimi Romanorum audientes falsa crimina ei imponere studuerunt, vt Regi & omnibus eum ita odiosum efficerent. Sed prædictus Pontifex ad sedem suam reuersus paulo post prænominate Rege præsentem cunctisq; et clero & populo præsentibus, non coactus, sed spontaneus de impositis criminib. iureiurando se expurgauit. Post hæc die Natalis Saluatoris nostri ab omnibus prædictus rex, Romanorū Imperator Augustus est constitutus, & à Papa nominato Pontifice coronatus, & ita eius tempore primum Romanorum imperium peruenit ad Francos. Hic constituit, vt tres dies ante Dominicam ascensionē Letaniæ celebrarentur. Hic ordinavit Episcopos 136. presbyteros 30. diaconos 11. sepultus est .a. 2. Idus Iunii.

XCIX.

A. DCCCXVI.

STEPHANVS V.

STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Marino, sedit menses 7. Hic ordinavit Episcopos 5. presbyteros 9. diaconos 4.

C.

A. DCCCXVII.

PASCHALIS.

PASCHALIS, natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos 7. menses 5. dies 13. Ordinavit autē Episcopos, presbyteros, & diaconos per diuersa loca. Hic de his, qui ob causā frigidæ naturæ se dicunt

dicunt non posse ab inuicē opera carnis dantes commisceri requisitus respondit dicens. *Si non possunt, habeant uxorem, quasi sororē. Quod si retinaculū iugale volunt recidere, maneant innupti. Nam si huic nō potuit naturaliter cōcordare, quomodo alteri cōueniet? Igitur, si vir aliā vult recipere uxorē, manifesta ratio patet, quia suadente diabolo fomite odii exosam habuit eam, & idcirco illā dimittere mendacii falsitate molitur. Quod si mulier causatur, & dicit. Volo mater esse & filios procreare, eligantur ex utraq; parte tres p̄p̄inqui parentes, qui iureiurando dicant tactis sacrosanctis Euangelis, q̄ nūquam hi permixtione carnis coniuncti vna caro effecti fuissent, tunc videtur mulier secundas posse contrahere nuptias. Humanum dico, propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem, qui frigida natura est, maneat innuptus. Quod si ille aliam copulam, cui conueniat, requirit, tunc hi, qui iurauerunt sunt periuri, & rei crimine tenentur. Ex hoc nimirum eorum fraus detegitur, si uterq; alias nuptias expetunt.*

Hic Mediolanensi Ecclesiæ de simoniaca hæresi scripsit epistolā, quæ ita incipit. *Fraterna mortis crimen incurrit, si quis, cum potest, fratrem à morte minime defendit. Nos verò, qui excellentia vestra summum discrimen audiuius, summi reatus pœnam incurrimus, si taceamus, Domino per prophetam intentante: quia profecto sanguinem fundit, qui impiorum iniquitatem tacendo dissimulat. Audiuius .n., quod valde miramur, quod sacri ordines apud vos pecuniis distrahantur, cum quicumq; tale aliquid tentauerint omninò heretici comprobentur, Spiritu sancto per Gregorium sic intonante, quia quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc ut fiat hereticus promouetur, & quisquis contra Simoniacam heresin neophytorum pro officii sui loco non exarsit, cum eo non dubitet se habere portionem, qui primus commisit hoc piaculare flagitium, & q̄ eterna morte hoc flagitium sit dignū Augustinus & Fulgentius ostendunt, ita dicentes. Firmissime tene, & nullatenus dubita omnē hereticum & schismaticum, quamuis multas eleemosynas faciat, vel et sanguinem suum fundat, cum diabolo & angelis eius aeterni ignis incendiis mancipandū, nisi ante finē huius vite Catholica incorporatus & redintegratus fuerit Ecclesiæ. Et turpe nimis est, ut plenissimo iā vigore confirmata Ecclesiā tā ferali inimico succumbat, de quo in primordio sue infantia tanta virtute triumphauit. Si quis autem obiecerit, non consecrationes, sed res ipsas, quæ ex cōsecratione proueniunt vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil .a. penitus sapere. Nam cum corporalis Ecclesiæ, aut Episcopus, aut Abbas, aut aliquis alius sine rebus corporalibus & exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter uiuit, quisquis eorum alterum vendit, sine quo alterum haberi non prouenit, neutrum venditum dereliquit. Quam tamē obiectionē sacer penitus canō exterminat, n̄ procuratorē vel defensorē Ecclesiæ, vel regulæ subiectū adeo p̄ pecunias ordinari prohibeāt, ut interuectores quoq; tāi sceleris*

anathematis mucrone succidat. ITEM in eadem paulo inferius. Quod tales Episcopos, vel Abbates, vel reliquos clericos nō deuimus, si eorū Missas audimus, vel cum eis oramus, excommunicationem cum eis subimus, quos quidem sacerdotes esse saltem credere, omninò errare est.

C I.

EUGENIUS II.

A. DECCXXIV.

EVGENIUS, natione Romanus, sedit annos 4. menses 7. dies 23. Huius diebus Romani iudices, qui in Francia tenebantur captiui, reuerſi sunt.

C II.

VALENTINVS.

ADCCCXXVII.

VALENTINVS, natione Romanus, ex patre Leontio, sedit mensem vnum, dies 10.

C III.

GREGORIUS IV.

ADCCCXXVII.

GREGORIUS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit annos 16. Hic ordinauit Episcopos, presbyteros, diaconos per diuersa loca, numero 185. Hic ciuitatem Ostiæ, quæ vetustate diruta fuerat, à fundamento renouauit, ne Agareni in eo tempore circumuagantes Christianis ibidem morantibus nocere possent, & ipsam urbem Gregoriopolim nominari iussit.

C IIII.

SERGIUS II.

A. DECCXLIV.

SERGIUS, natione Romanus, ex patre Sergio regionis quartæ, sedit annos 3. Hic absque iussione LOTHARII Imperatoris est ordinatus. Vnde, cum eius consecrationis rumor ad prædicti aures Imperatoris peruenit, indignatus de hac præsumptione filium suum LVDOVVICVM & Drogonem Metensem Episcopum cum magno exercitu Romam direxit. Qui post multa damna Romanis illata, ipsos Romanos Imperatori fidelitatem iurare fecerunt, & prædictum Sergium post multas contentiones in sede demum confirmauerunt: qui prædictum filium Imperatoris in regem Longobardorum vnxit. Huius pontificis fuit frater, Benedictus nomine, brutus & valde stolidus, qui propter pontificis imbecillitatem,
Ecclesia-